

Universitätsbibliothek Wuppertal

**DIONYSII || LAMBINI MON-||STROLIENSIS RE-||GII
PROFESSORIS,|| IN || Q. HORATIVM FLACCVM EX FIDE
ATQVE || AVCTORITATE COMPLVRIVM LIBRORVM
MANV-||scriptorum à se emendatum, et aliquoties
recogni-||tum, ...**

Horatius Flaccus, Quintus

Frankfurt/Main, 1577

Ode 21: Ad Amphoram

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1066)

A *Interim dum tu celereis sagittas
Promis, hæc denteis acuit timendos:
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, & leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.*

NON VIDES] ἀμνηστία est. Nō vides (inquit) quanto periculo amanti puellæ formosum adolescentem adimas? Profectò tu, qui puerum ei eripuisti, cum illa Nearchum suum abs te repetet, bellumque tibi ob eam causam inferet, non audebis cum ea prælium inire: sed te statim in fugam conijcies, victumque fatebere. amantem mulierem, cum læna: adolescentem amatum, cum catulis comparat. Est autem hæc Oda ἀποπροπηκὴ, hoc est ad dissuadendum, & deterrendum comparata.

B GETVLÆ CATVLOS LEÆNÆ] supra Od. 23. lib. 1. tigris vt aspera, Getulæ sue leo. Virgil. lib. 5. Æneid. tergum Getuli immane leonis.

MOVEAS] loco moueas, auferas, rapias. mox enim raptorem appellat.

POST PAULLO] quidam libri veteres habent, post paululum. sic Sat. 2. lib. 1. vbi libri vulg. habent, Illam post paullo: sed plaris, si exierit vir, &c. omnes fere libri manuscr. habent, post paululum.

INAUDAX] non audax, ignauus, timidus. Vox à nemine alio, quod sciam, vsurpata.

RAPTOR] Tu Pyrrhe, qui catulos suos lænæ rapias, seu rapueris.

CVM PER OBSTANTEIS IUVEN. CAT.] ὅτι δὲ ὄμιλον, seu κατ' ὄμιλον.

GRANDE CERTAMEN] magnum certamen erit inter vos, vter vestrum superior sit futurus, id est, vter Nearchus sit potiturus.

INTERIM DVM TV] Interea dum tu sagittas expedis, quas in eam mittas: illa tanquam læna, denteis acuit, quibus te discerpat, ac laceret. HÆC

C DENT. ACUIT TIM.] videtur manere in translatione, seu potius similitudine. hanc enim faminā cum læna comparauit, cui eripiuntur sui catuli. sed tamen acuire denteis magis videtur apris conuenire, qui sunt è genere χαυλιοδόντων, id est, eorum animalium, quibus dentes sunt exserti, quàm leonibus, qui sunt de genere κερχαιοδόντων, id est, serratos denteis habentium. Adiuuat me Homerus, qui il. λ. perspicuè ostendit, apros denteis acuire solere, eo loco, vbi Vlysses à Troianis circumuetum, cum apro comparat, quem canes, & venatores insequuntur. sic Hom. Ως δ' ὅτε κέραιον ἀμφὶ κύνες, θαλεροὶ τ' αἰθροὶ Σείονται, ὅδ' ἔ' εἶσι βαθέης ὄκ' ἔυλοχοιο Θήζην λευκὸν ὀδόντα μετὰ γναμπήσι γένυσιν, &c. i. Quemadmodum cum circum aprum canes & iuuenes vegeti, & viuidi concitantur: ille autem prodit ex siluestri & dumoso loco, album dentem acuis inter flexibileis malas, &c. Sic & Cornificius lib. 4. rhetoric. ad Herenn. Quod sistum, indices,

vestris sententijs liberaueritis. statim sicut è cauea leo D emissus, aut alia aliqua tæterrima bellua soluta ex caenis, volitabit & vagabitur in foro, acuens denteis in cuiusque fortunas, in omnibus amicis & inimicos, &c.

ARBITER PUGNÆ, &c.] ille autem Nearchus tanquam pugne arbiter, & iudex, victoriam pedibus supposuisse dicitur, vel pugnae euentum expectans, vel declarans in sua potestate esse situm, vtri potius victoriam gratificetur, atque adiudicet. Ponere autem sub pede, seu sub pedibus dicuntur, qui domuerunt, qui sunt superiores, qui habent in potestate: quale est illud Lucretij lib. 1. Quare religio pedibus subiecta vicissim Obteritur: nos exequat victoria calo. Titus Liuius lib. 34. annalium. Argos & Lacedæmonem duas clarissimas vrbes, lumina quondam Græciae, sub pedibus tuis relinquemus? Virg. Æn. lib. 7. quorumque à stirpe nepotes Omnia sub pedibus, quæ sol vtrumque recurrens Aspicit Oceanum, vertique, regique videbunt.

ODORATIS] vel rosa, vel alio suavis odoris flore, vt Od. xi. lib. 2. & rosa Canos odorati capillos, Dum licet. Odoratus autem participium est sine origine verbi: de quo genere supra ad Od. xi. lib. 2.

QUALIS AVT NIREVS] omnium Græcorum Achille excepto, pulcherrimus, vt ait Hom. il. β. Νιρέυς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἰλίου ἦλθε, τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα, id est, Nireus, qui vir pulcherrimus ad bellum Troianum venit aliorum Troianorum, post strenuum Achillem. Od. 15. epod. Formæque vincas Nireæ.

AVT AQVOSA RAPTVS] Ganymedes. Virgil. lib. 1. Æneid. rapti Ganymedis honores. aquosam autem Idam vocat Homeri exemplo, qui πηδῆ εσσαῖν nominat, quasi πηδακίεσσαῖν, id est, fontibus abundantem. Hom. il. λ. Ἰδῆς ἐν κορυφῆσι καθέζετο πηδέεσσας: id est, in verticibus seu cacuminibus Idæ aquosa & fontibus circumfluentis sedebat.

AD AMPHORAM.

Ode 21.

Ex qua se in Coruini gratiam vinum vetustum F prompturum ostendit, & occasione oblata vini laudes commemorat.

O Nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, siue geris iocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem: pia testa, somnum:
Quocumque lectum nomine Masticum
Seruas moueri digna bono die,
Descende, Coruino iubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet

Sermo-

A *Sermonibus, te negliget horridus
Narratur & prisci Catonis
Sape mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum iocoso
Consilium retegis Lyæo:
Tu spem reducis mentibus anxii:
Vireisque, & addis cornua pauperi,
Post te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, & si leta aderit, Venus,
Segnesque nodum soluere Gratia
Vinaeq; producent lucerna,
Dum rediens fugat astra Phæbus.*

B **CONSVLE MANLIO**] L. Manlio Torquato, L. Aurelio Cotta coff. Hi P. Sylla, & P. Autronio, qui erant designati, ambitus à se accusatis, & conuictis, consules in eorum locum facti sunt, beneficio legis. sic Od. 13. epod. *Tu vina Torquato mone Consule pressa meo.* Sed quòd ad Cottam attinet, vel ei duo nomina gentilia fuerunt, vt Aurelius, & Aurunculeius diceretur, quod absurdum dictu est: vel Cottarum alij Aurelij fuerunt, alij Aurunculeij: vel mendosè dicuntur Cottæ Aurelij, & omnes sunt Aurunculeij. Nam perspicuè Cæsar lib. 5. de bello Gallico L. Cottam Aurunculeium appellat. Altera dubitatio mihi ex eodem nomine oritur, quamobrè Iulia, quæ nubuit Mælio apud Catullum, dicatur Aurunculeia. sic enim legendum in illo epithalamio Iuliae & Manlij *Flere desine: non tibi Au-Runculeia periculum est, Ne qua femina pulchrior Clarum ab Oceano diem Viderit venientem.*

SEV TV QVER. SIVE GER.] nullum (opinor) vinum est, in quo ea propriè vis sit innata, vt vel querelas, vel iocos, vel amores, vel somnum afferat: verum, vt Oda superiore ex Athenæo ostendimus, quædam sunt necessitatis pocula, quædam Veneris & amoris, quædam rixæ & pugnæ, quædam somni. Præterea constat, vinum, cum varia sint hominum ingenia, ad illam varietatem commutari, & accommodari. verbi gratia, si quis iracundus natura paullo largius bibat, iracundiam suam statim in promptu habet, ac declarat: si quis libidinosus & voluptarius: libidine inflammatur: & ita de ceteris sentiendum. vide annot. ad Saty. 4. lib. 1. ibi, *Condita cum verax aperit præcordia Liber.*

SEV FACILEM, &c.] somni epithetum apud Horat. non cuiuslibet, sed quieti, leuis, placidi, & tranquillii. Sunt enim nonnulli turbidi, turbulentii, graues, implacidi, & concitati. sic Od. XI. lib. 2. *Pellente lasciuos amores Canitie, facilemque somnum.*

QVOCVMQVE LBCT. NOM.] paullo antè

dixit, se, & hanc testam, eiusdem esse ætatis, iisdem que coff. natos: nunc hoc præterea, cuiuscumq; consulis nomen testa præ se ferat, digna esse, quæ suo loco moueatur lato aliquo die. vsus est autem verbo *mouendi* & Oda 13. epod. *Tu vina Torquato mone Consule pressa meo.* Inscribebantur autem consulum nomina in testis, seu amphoris, seu cadis, ad notandam vini ætatem.

MASSICVM] vinum Campanum, quod in Massicis montibus nascitur. supra Od. 1. lib. 1. *Est qui nec veteris pocula Massici, &c.*

DESCENDE] ex verbo descendendi intelligere licet, solitos esse veteres vasa vinaria in apothecis editioribus locare. quod declarat & locus Od. 28. huius lib. *Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli consulis amphoram.* & Od. 12. lib. 4. *Nardi parvus onyx eliciet cadum: Qui nunc Sulpicis accubabat horreis:* fortasse vt fimum biberent, seu fumosa fierent.

PROMERE] vel descende promere, id est, vt ex te promas, vel iubente promere, id est, iubente Coruino, vt promam.

LANGVIDIORA VINA] languidiora vina puto ea esse, quæ ætate maturuerunt, acerbitatèque insitã, tempore amiserunt, vt dixi supra Od. 16.

NON ILLE, QVAMQ. S. M. SERM. TE NEGL. HORR.] quamquam peccatus est ei præceptis philosophicis refertum: non ita se præbebit horridum tamen, vt te negligat. similia loquendi genera annotauimus sup. ad Od. 8. huius libri. madet autem translata, imbutum est, refertum est. sic Lucret. lib. 4. *Scilicet arte madent simulachra, &c.* vbi lib. vulg. habent, *valent*, mendosè. Proprie & magis vsitate madere vino dicuntur vinolenti. Plautus Trinummo: *Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.*

NARRATUR ET PRISCI CAT.] virtus Catonis ἀειπρασιῶς positum pro Catone, vt annotauimus ad Od. 5. huius lib. fuit autem hæc opinio de Catone maiore, illum vino se nonnumquam largius inuitare solitum esse, sed falsa. Plutarchus quidem in eius vita nihil tale de eo tradit. tantum scribit eum delectari solitum cenis lautioribus, & copiosioribus, maximè cum rusticis vicinis, non solum æqualibus, verum etiam adolescentibus. sic Plut. *ὡς δὲ καὶ τὸ δεῖπνον ἐν ἀρχῇ θαυλέστερον. ἐκάλει γὰρ ἐκείνους τὴν ἀρχογειτόνων. καὶ παλαιῶρων τῶν συνθηδῶν, καὶ συνδιήγειν ἰλαρῶς ἢ τοῖς καὶ ἡλικίαι μόνοις ἡδύς ἂν συγγενέσθαι, καὶ πρῶτοις, ἀλλὰ καὶ πῆς νέοις.* Et M. Tull. in libello de senectute sic eum loquentem facit: *Ego propter sermonis delectationem tempestiuus conuiuus delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci admodum restant: sed cum vestra etiam ætate, atque vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, qua mihi sermonis auaritatem auxit: potitionis & cibi sustulit.* De iuniore autem idem Plutar. in eius vita scribit. *προϊόντι δὲ τῷ χρόνῳ μάλασι προσιέει τὸ πίνειν: ὥστε πολλάκις ἐν οἴῳ διάγειν εἰς ἄρθρον, &c.* διὸ καὶ Μεμμία πνός ἐν συλλόγῳ φήσασα, ὅλας τὴν Κάτωνα μεθύσκεισθαι τὰς νύκτας, ὑπολαβὼν ὁ Κικέρων, ἐκείνο δὲ ἰλέγεις, εἶπεν, ὅτι καὶ τὰς ἡμέρας ὅλας κινεῖται. id est, progressa autem iam ætate maximè recipiebat

A *computationes, ut saepe usque ad horam matutinam in vino permaneret, &c.* Itaque cum Memmius quidam in conuentu dixisset Catonem totas nocteis ebrium esse: suscepto sermone Cicero, at illud non addis (inquit) etiam totos dies cum alca ludere.

T V L E N E T O R M E N T V M] Plato lib. 1. de legibus, in extremo ait, nullum esse tormentum minus sumtuosum, minusque periculofum, quam vinum, ad explorandos & exquirendos hominum affectus & mores. Verba Platonis sunt haec: *καὶ μυρία δὲ λέγον ἕκαστος πότε ἀνύσειν, ὅσο διαφέρει τὸ μετα παιδείας πινάλλως ἀνευ μισθῶν ἡμιώδης, ἢδος ἰυχίης θεωρεῖν. καὶ δὲ τὸ πρὸς αὐτὸ πρὸς γὰρ τῶν ἕτερον αὐτὸ κρητὰς, ἢ ἄλλως αὐθρόπας ἐδένας οἰόμεθα ἀμφισβητοῦμαι ἢ πείραν τε ἀλλήλων ὁπτικῆ ταύτην εἶναι, τὸ πρὸς εὐπλείας καὶ ἀσφαλείας, καὶ τάλως διαφέρειν πρὸς τὰς ἄλλας βασιάνως. id est, Et, ut quis res innumerabileis proferat, nihil proficiat, neque dicendo consequi possit, quanto praestet cum ludo & ioco, aliudque agendo, sine iactura ingenium & mores animi spectare atque explorare. Atque hoc sane neque Cretas, neque alios villos homines in controuersiam vocaueros existimamus, hanc probationem de ingenio*

B *mutuo esse modestam, & laudabilem, & hoc genus probationis cum minimo sumtu fiat, tum omni periculo vacare, & praeterea si cum aliis probationibus comparatur, maxima celeritate constare. huc pertinet locus ille in epist. ad Pison. Reges dicuntur multis urgere culullis, Et torquere mero, quem perspexisse laborant. An sit amicitia dignus. & epist. ad Lolli. 1. lib. 1. Commissumque teges & vino tortus, & ira. significat autem Horatius, ingenia seueriora, & alperiora, vino interdum leniri ac temperari: vel vino tanquam tormento quodam, explorari, & spectari qualia sint. Lene autem dixit, quia alia tormenta, aspera, grauiata, molesta, & acerba sunt.*

T V S A P I E N T I V M C V R A S, &c.] tu sapientium graucis cogitationes & consilium reconditum, vino aperis, & in lucem profers.

T V S P E M R E D. M E N T I B.] sic sup. Od. 17. lib. 1. *Quis post vina grauem militiam, aut pauperem crepat?* & epist. ad Torq. lib. 1. *Quid non ebrietas designat? operta recludit: Spes iubet esse ratas, &c.* extant in hanc sententiam apud Athen. lib. 2. aliquot Diphili versus, quos me non pigebit ascribere. Nam hunc locum non solum illustrabunt, verum etiam explicabunt. sic igitur Diph. *ὦ πάσι τοῖς φρονέσι θεοφιλέσσι Διόνυσε καὶ σοφώτατ', ὡς ἡδὺς πρὸς εἶ. Ὅταν παπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιῆς μόνος, τὸν τὰς ὀφρῶς ἀίροντα συμπεύθης γελᾶν. τὸν τ' ἀδελφῆ πολμᾶν π, τ' δὲ γλῶν θρασυῶν. id est, o prudentibus omnibus carissime Dionyse, & sapientissime: quam iucundus es, cum tu solus humilem & abiectum magnos sibi spiritus sumere facis: tristem, & contrahentem aut tollentem supercilia, ad ridendum impellis: infirmum, atque imbecillum audere aliquid cogis: timidum atque ignauum, audacem efficis. eodem pertinent illa Plat. lib. 1. de leg. de vino. *πίνοντα δ' ἀνθρώπων, αὐτὸν αὐτὸ ποιεῖ φροῦν ἰλεον εὐθὺς μάλλον, ἢ φρότερον, καὶ ὁπόσω αὐτὸ πλέον αὐτὸ γένηται, ποσὸτω πλέονων ἐλπίδων ἀγαθῶν πληρῶται, καὶ διωάμεως εἰς δόξαν. καὶ πλεονῶν δὲ πάσις ὁ τοῦ πρὸς παρρησίας, ὡς σφοδρῶν ὡν μεστῶται, καὶ**

*ἐλευθερίας, πάσις δὲ ἀφοβίας, ὡς εἰπὴν πρὸς ἀόκνος ὁποῦ ὡσάντως δὲ καὶ φράσαι. id est, hominem, qui bibet, primum efficit placidiorem, quam erat antea, & quo plus de eo gustarit, tanto illi plureis bonas spes praebet, tanto plus virium ad gloriam & estimationem suppeditat. ad extremum igitur omni orationis licentia, ac libertate, quasi sapiens sit, omnique confidentia, atque audacia completur, ita ut quiduis strenue atque impigre & dicat pariter, & agat. & Aristoph. *ἰπρῶς. Ὁρᾶς? ὅταν πίνωσιν ἀνθρώποι, πότε Πλευτῶσιν, εὐφράττωσι, νικῶσι δικας, Ευδαμονῶσιν, ὠφελῶσι τὰς φίλους. id est, Vidēsne? Cum bibunt homines, tunc diuites sunt, rem suam bene gerunt, superiores è iudiciis discedunt, beati & fortunati sunt, amicis suis sunt utiles.**

E T A D D I S C O R N. P A V P.] id est, pauperem efficis audacem, & pugnacem, & certandi cupidum. Cornua Baccho affingi notum est: quae de re supra diximus ad Odam 19. lib. 2. ibi, *aureo Cornu decorum.*

T R E M E N T I] cum tremore timenti, ut infra Od. 27. eiusd. lib. *palluit*, positum pro cum pallore extimuit. & *scatentem Belluis potum, mediisque fraudeis Palluit audax.* & pauca pro cum pauore timeat Od. 5. lib. 4. *Quis Parthum pauca?*

R E G V M A P I C E S] id est, Regum maiestatem, potentiam, fastigium. sup. Od. 35. lib. 1. *bin apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit.* &c. *iratos autem regum apices dixit pro, regum iratorum apices, per hypallagen. Apex (inquit Festus) qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere vinculo antiqui, aperere dicebant, &c.* Ab hoc apice dictum, id, quod eminet.

S E G N E S Q V E N O D. S O L. G R A T.] id est, quae non facile concordiam dissolunt: quae usque adeo arctis, & firmis vinculis inter se coniunctae sunt, ut aegre dissideant, aut distrahantur. *segnes soluere autem genus est loquendi Graecum, ut annot. ad Od. 8. lib. 4. Seruius ad locum illum, Virgil. lib. 1. Aen. at memor ille Matris Acidalia, notat Gratias iccirco connexas, & colligatas fingi, ac pingi, quia insolubileis esse decet. quod spectauit Horatius (inquit) cum dixit, Segnesque nodum soluere Gratiae.*

V I V E Q V E P R O D. I V C.] id est, totam noctem bibetur, & Veneri indulgebatur. tota nox in vino, & hilaritate consumetur. sic supra Od. 8. huius libri, *& vigilis lucernas Perfer in lucem.* ad quem locum annotauimus, Romanos illos veteres, atque etiam Graecos, cenas suas totam noctem producere solitos esse. crebra certe lucernarum, & lychnorum apud scriptores, cum de cenis loquuntur, mentio satis declarat, eos noctu cenare consueuisse. supra idem Horatius significans multum interesse in ter arma, & conuiuia, sic loquitur. *Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat. M. Tullius pro Caelio, Quam volent in conuiuuiis faceti & dicaces, nonnunquam etiam ad vinum disertis sint: alia fori vis est, alia triclinij: alia subselliorum ratio, alia lectorum. non idem iudicium, comestatorumque conspectus. lux denique alia solis, & lychnorum.*

V I V E -

A VIVERE] accensæ, ardentes, non exstinctæ. ignem enim vivere & mori dicimus, ut animantem quendam. notauimus ad Lucretium: ibi, *Et viuunt labentes atheris ignes.* lib. 1.

IN DIANAM.

Ode. 22.

Montium custos, nemorūq; virgo,
Quæ laboranteis utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diua triformis:
Imminens velle tua pinus esto:
Quam per exactos ego letus annos,
Verris obliquum meditantis ictum,
Sanguine donem.

B

MONTIUM CVST. NEM.] ὄρεων ὀπίσκοπος. Od. 21. lib. 1. Vos letam flumini & nemorum comæ, &c. Virg. lib. 1. Æn. Qualis in Eurota ripis aut per iuga Cynthi Exercet Diana choros: quam millesecuta hinc atque hinc glomerantur Oræades.

QVÆ LABORANTEIS VTERO PVELL.] Eandem esse Dianam, Ilithyiam, Lucinam, Genitalem, ex hoc loco, & ex carmine saculari pro imperio populi Romani, intelligere licet: quo in carmine tribus his postremis nominibus eam appellat. Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres, Sive tu Lucina probas vocari, seu Genitalis. de qua sic M. Tull. 2. de nat. deor. Dianam autem eandem esse putant, à lucendo utramq; nominatam. Itaque ut apud Græcos Dianam, eamq; Luciferam: sic apud nos Iunonem Lucinam in pariendo invocant: quæ eadem Diana annuaga dicitur, non à venando: sed quod in septem numeratur tamquam vagantibus. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ij mature-

C scunt aut septem nonnunquam, aut plerumque nouem Luna cursibus: qui, quia mensa spatia consiciunt, menses nominantur, concinnèque, ut multa, Timæus, qui, cum in historia dixisset, quæ nocte natus Alexander esset, eadem Diane Ephesie templum desagravit, adiunxit, minimè id esse mirandum, quod Diana, cū in partu Olympiadis adesse voluisset, afuisset domo. hætenus M. Tull. Sed cum Diana Latonæ: Ilithyia autem Iunonis sit filia: quæ potest esse eadē Diana & Ilithyia? Atqui Pindarus Neme. carmine sexto, Ilithyiam, & Iunonis esse filiam, & præfido adesse partibus, non obscure significat. Ilithyia (inquit) quæ Parcis affides, filia Iunonis, filiorum genitrix: sine te neque diem, neque noctem aspiciamus, neque pubescimus. Pindari verba sunt hæc, si quis magis delectatur Græcis: Εἰλειθυία πάρεδρος μοιρᾶν βαθυφρόνων, παῖ μεγαλοδενέος, ἀλουσον, ἦρας, γενέτιρα τέκνων. ἀνευ σέθεν ὁ φάος, ὁ μέλαιναν δρακόντες εὐφρόνων πέν ἀδελφῶν, ἐλάττομεν ἀγλαῶν γυγιῶν ἤβαν. Hesiodus item Ilithyiam, Iunonis fili-

am facit in Theogon. ἢ δ' ἠβλώ καὶ Ἀρνα, καὶ εἰλειθυίαν ἐπικτεν. Homerus autem Ilithyiam, μορῶσσαν, quod valet ποιοῦσαν, ἀδελ τῶν πόκου. id est, laborantem, seu occupatam in partibus, appellat il. π. his verbis: Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τὸν γὰ μορῶστος εἰλειθυία Εὐζάραγε παρὸ φάος δέ, καὶ ἠελίῳ ἴδεν αὐγᾶς, &c. il. λ. numero multitudinis μορῶστος εἰλειθυίας Iunonis filias appellat. Ως δ' ὅταν ἀδύνασται ἔχῃ βέλος ὄξυ γυναικα Δριμύ, τότε παρ' εἰσι μορῶστος εἰλειθυίας Ἥρης θυγατέρες, id est, Quemadmodum autem cum telum acutum atque amarum, mulierem partus dolores sentientem tenet, tum procedunt Ilithyia partus laborem leuantes, Iunonis filia, &c. & Theocritus ἐιδ. λσ. μορῶστος Ἀρτεμιν. Pausanias quoque aliam facit à Diana, & Iunonis filiam dicit haberi: quin etiam eam Latonæ partum adiuisse ab Hyperboreis profectam: ceteros homines autem Ilithyia nomen ab his didicisse: Delios quoque ei sacra facere, & carmen in eius laudem de partus doloribus cantare: Cretas verò existimare Ilithyiam in Cnosia regione natam, & Iunonis filiam esse. Pausania verba sunt hæc. Att. ἢν εἰλεῦσαν ἐξ ὑπερβορέων εἰς Δῆλον, γενέσθαι βοηθὸν τῆς Ληϊῶς ὀδῆσι. Τῶς δ' ἀλλοὺς παρ' αὐτῶν φασὶ τῆς εἰλειθυίας μαθεῖν τὸ ὄνομα. καὶ θυγατρὶ δὲ τῆς εἰλειθυίας Δῆλιοι· καὶ ἡμιον ἀδύνασται ὀδῆτος. Κρήτες δὲ τῆς Χώρας τῆς Κνωσσίας ἐν Ἀρμισσῶ γενέσθαι τομίζουσαν εἰλειθυίαν, καὶ παῖδα ἦρας εἶναι. Idem Arcad. narrat se Ilithyia statuam vidisse apud Agyenseis à Dalmophonte fictam, quæ tota esset à capite vsq; ad calcem veste textilitecta, cuiusq; nihil esset nudum, præter faciem, & extremas manus, & pedes: eius alteram manum porrectam esse, & explicatam: alteram facem tenere: quæ res vnum è duobus significaret, vel illam pueros ex utero matris in lucem, atque in luminis oras (ut ait ille) protrahere. verba Pausania sunt hæc: εἰλειθυία δ' εἰκόσται τις αὐ εἶναι δαΐδας, ὅτι γυναιξὶν ἐν ἴσῳ καὶ πῦρ εἰσὶν αἱ ὀδῆτες. Εἰλεῖν δ' αὐ λόγον καὶ ὅτι πιφθε αἱ δαΐδες, ὅτι εἰλειθυία ὄδῆν ἢ εἰς φῶς ἀγῶσα τῶς παῖδας. Plato autē in Theæteto eadē esse Dian. & Ilithy. putat, ut ex eius verbis perspicuum esse potest. αἰπᾶν δὲ τὸ ὑδραῖαν γυναικᾶ αὐτὴν κλισοκομένῳ τε καὶ πικρῶσσαν ἀλλας μαγεύεσθαι, φασὶν εἶναι τὴν Ἀρτεμιν, ὅτι ἀλοχος ἔστα τὴν λοχίαν εἰληξ. id est, causam autem, cur nulla mulier, quæ ipsa grauida fieri, & parere possit, obstetricis munere fungatur, aiunt hanc esse, quod Diana à pariendo immunis, maturandorum, & procurandorum partuum prouinciam nacta est. Plutarchus Sympof. 3. probl. 1. de luna loquens: Λέγεται δὲ καὶ παρὸς εὐπολίαν σωεργίην. ὅταν ἢ διχόμηνος, ἀνεῖσι τῶν ὑγρῶν μαλθακώτερας παρήλυσσα τὰς ὀδῆτας: ὁδὸν οἶμαι καὶ τὴν Ἀρτεμιν, λοχίαν, καὶ εἰλειθυίαν ἐκ ὅσων ἐτέρων ἢ τὴν σεληνίῳ ὀνομάσθαι. id est, aiunt autem lunam etiam ad patiendi facilitatem, & felicitatē adiumento esse, cum est femiple na, remissione & relaxatione rerū liquidarū & humidarū partus dolores efficientē molliores, & leniores. Ex quo arbitror etiā Dianam Lochiā, id est, partuum præsidem, atq; arbitram, & Ilithyiam, ut pote quæ non sit alia à luna, esse nominatam. Idem Plutarchus ibidem lunam à Timotheo quodam ὀνομαστικόν ostendit esse appellatam, id est, ad accelerandos partus vtilem. Plautus, Terentius, Varro,

E

F